et in illa importuna admotione impegit gubernaculum nostrae galeae in rupem sub aquis et fractum fuit, in ejus autem ruptura tantus fragor et strepitus insonuit, quod nihil aliud nisi interitum suspicabamur. In illa nocte fuimus in majori periculo, quam si fuissemus in medio maris saeva tempestate; praecipue tamen ego cum socio meo, qui eramus retro in penetralibus galeae, fuissemus perditi in omnem ventum (**189 a**). In patulo enim suas cumbas habentes periculo imminente fugere possunt et in ruptura navis vel in submersione evadere possunt in scaphas vel apprehendere lagenam, brillam, asserem, mensam et aliquid hujus modi supernatans, sicut fecisse et evasisse legimus Ulyssem, qui rupta nave apprehendit malum et nudus in eo pependit novem diebus hinc inde per fluctus agitatus, et demum in Cycladum insulas dejectus in Deli portu terram apprehendit. Sed qui intus sunt in oneribus, in tali casu perditi sunt.

Die decima quinta mane statim in scaphas descendimus et in civitatem regressi sumus, scientes, navem non posse recedere (ob) temonis reparationem, qui hac die vix reparari potuit. Missam ergo audivimus et in nostrum hospitium regressi ibi pransisumus, post prandium ad forum transivimus et multos Turcos negotiantes cum Christianis ibi vidimus. Sunt enim Turci vicini Metonensibus, nutriunt autem Turci porcos et impinguant eos et in Metonam ducunt Christianis vendendos, quia ipsi carnibus porcinis non vescuntur, sicut Judaei; et praecipue quando percipiunt classem advenisse, tunc cum gregibus porcorum ad Metonam veniunt, et in tam bono foro sunt, quod levius quam pro uno marcello, qui facit duos boëmos, potest quis emere saginatum porcum. Illi autem de galeis ementes occidunt et igne depilant et caput cum intestinis abjiciunt et carnosa excidunt et ossa ejiciunt, solum lardum reservantes, et omnem pinguedinem duorum vel trium porcorum in corpus evacuatum unius porci intrudunt et acu ventrem consuunt firmiter et ita in galeas portant et Venetias ducunt in domos suas vel vendunt. Credo, quod in illis diebus, quibus Metonae mansimus, ultra sex millia porcorum fuerunt in galeas portati, quia omnes galeae repletae occisis porcis erant, et quilibet porcus in se tres aut quatuor porcos continebat, civitas enim Venetiana lardum et porcinam pinguedinem ab hoc loco

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;